

natus & delatus, nihil tamen tibi prius aut potius esse pater is quam respectum & curam & constitutionem studiorum & culturae artium bonarum. Intelligis enim profecto, cum his conseruatis Reip. felicitatem contineri, tum labefactatis, salutem communem affligi. Itaque & cum maxima contentione, & non absque aduersatione, hoc spaciū decurris, non modo plausibili ad omnes bonos certamine, sed grato etiam Deo ipsi conatu. De quo quidem nunc & haec est opinio omnium, quiq; equi, quiq; iniqui sunt, & illa profecto ad posteritatem prodetur, Te unum inuentum qui in his regionibus perfecit, ut Musarum sedes partim fundarentur, partim conseruarentur. Utq; difficilimis rebus durissimisq; temporibus, aliquid tamen considerationis impenderetur huic parti, & laborantibus ac debilitatis studijs subleuatio & auxilium non deesset. Haec quia non tibi scribo, etsi compellat te epistola nostra, sed ita negotium institutum est, ut à plurimis haec legi debeant, ideo non quasi assentandi tibi causa dici existimabuntur. Sed potius ut & meritis tuis memoria animi grati praestetur, & exemplum huius pulcerrimi facinoris alijs etiam ad imitandum proponatur, quo tu profecto maiorem, & magis solidam laudem adeptus es, quam ulla alia excellentia & splendore consiliorum quae sunt praclarissima, & dignitatis tuae, quae est maxima. Alij sane alia expetenda & bona esse ducant, Mihi in uirtute ipsa & premia & ornamenta uel sola uel amplissima uidentur esse. Virtus autem quae fuerit sine ueritate? Et ubi ueritas si disciplinarum & artium studia aut nulla sint, aut exilia, aut etiam peruersa & mala? Non enim haec exquiritur neq; tenetur ab inertibus & somnolentis & sutilibus. Sed labore, industria, magna animi & corporis defatigatione, & reperitur & comparatur. Te autem oro, ut qui omnia doctrinae opera suspicis & mirifice amas, hoc opusculum quasi in clientelam tuam recipere uelis, quod certe indigebit patrocinio ad multos, quorum alij quae ipsi nesciunt, ea stolide auersabuntur, alij carpent audacter arrepta quaedam nimia scientia, alij etiam in nouitate uniuersam operam nostram deridebunt. Quibus omnib. non orationis defensio paranda, sed autoritatis praesidium opponendum est, ut non disputando sed refutando conuincantur. Trado igitur me & operas studiorum meorum in tuam uir magnifice manum, & tuae fidei committo, à quo si protecta ocium nacta fuerint, ita se pollicentur gerere uelle, ut non solum tua praestantia fructum quendam percipiat benignitatis suae, sed ut utilitas ad plurimos perueniat, à quibus omnibus, si boni erunt, gratia tuis beneficijs debebitur. Hunc uero libellum qui proprie dicatur praestantiae tuae, cupio placido uultu à te suscipi, & te diarias indicationes nostras cognoscere, & inuigilantem Reip. curis, ad haec aspicere uidereq; interdum, nunquid.

peculiari nostro labore effectum sit memorabile,
aut saltem quod non improbari mereatur. Ea enim sunt quaedam, ut
non animi perspicacia
comprehendi, sed in oculos ipsos
incurrere facile possint. Tuam praestantiam quam feliciss. ualere cupio. Lipsiae Cal. Octobris,
ANNO CHRISTI M. D. L.

Ad